

Faciamus mala, ut veniant bona. Hoc fortassis ideo putabant: quia non intellexerunt quod quidam dicebat: Ubi abundavit peccatum, superabundavit gratia.

Quorum damnatio iusta est. Quid iustius, quam ut hanc penam sentiant, quam nos negare mentiti sunt: qui nihil magis quam iustum Dei iudicium predicamus.

Quid ergo? Praecellimus eos? Nequaquam. *Causati enim sumus, Iudeos & Græcos, omnes sub peccato esse.* Nos ex Iudeis nullam unde majores sumus invenio causam. Hoc enim investigavit ratio, sub peccato esse, & Iudeos & Græcos: quod non ratione sola colligimus, sed etiam de Iudeis testimonio comprobamus. Item hoc ostendit: quomodo Iudæi licet legem & Prophetas haberent, nihil tamen amplius quam gentes habeant: quia omnes similiter peccaverunt, & egent gloria Dei.

Sicut scriptum est: Quia non est iustus quisquam. In psalmo tertio decimo, Psalmus iste unde hoc testimonium sumptum est, de insipiente loquitur: quod testimonium in adventu Christi, præcipue ostendit impletum tempore scilicet passionis, quo nullus iustus cum pateretur, puto inventus sit.

Non est intelligens, non est requirens Deum. Qui non requirit fundamentum, necesse est ut declinet.

Omnes declinaverunt. Qui non intelligit, non requirit: seu ideo non intelligit: quia non querit. Deus autem tunc requiritur, cum eius voluntas inquiratur: quia omnis qui peccat, non vidit eum, nec cognovit eum eo quod qui peccat, Domini sui non cognoscit voluntatem. Nam & vulgo nescire dicitur, cuius voluntas ignorata est.

Simul inutiliter facti sunt. Inutiles ad opus, ad quod fuerunt procreati.

Non est qui faciat bonum, non est usque ad unum. Nec Apostolus, Item si non est qui faciat bonum, quomodo inferius plebem suam arguit devorantes, & inopum consilium confundentes? Plebs enim Dei non erat, si bonum non faciebat: maxime cum iusta ibidem generatio appelletur. Hoc magis ad psalmi expositionem pertinet, quam ad Apostoli causam.

Sepulchrum patens est guttur eorum. Fectore doctrinæ suæ, & adulatione contaminans, & interficiens audientes. Ideo enim sepulchrum diligenter clauditur, ne adhuc viventibus exhalatione sua generet pestem.

Linguis suis dolose agebant. Aliud ore promittentes, aliud corde volutantes.

Venenum aspidum. Horum serpentium pessimum dicit esse venenum.

Sub labiis eorum. Hoc est, in corde.

Quorum os maledictione. Non est unius generis maledictio. Quicquid enim malo voto dicitur, sine dubio male dicitur.

Et amaritudine plenum est. Amaritudo contraria est dulcedini verberum Dei.

Veloces pedes eorum ad effundendum sanguinem. Sive simpliciter homicidas dicit: sive interficientes animas adulando. Unde in actibus Apostolorum dicit Paulus: Mundus sum ab omni sanguine. Non enim subterfugi, quo minus vobis annunciarem omne consilium Dei.

Contritio & infelicitas in viis eorum: & viam pacis non cognoverunt. Conteruntur & infelices fiunt anime in doctrinis eorum, vel in exemplis conversationis eorum.

Non est timor Dei ante oculos eorum. In timore Dei conclusit: qui si timore Dei semper ante oculos habuissent, non utique deliquissent. Neque enim audeat servus Domino præsentem peccare.

Scimus autem quoniam quacumque lex loquitur: his qui in lege sunt, loquitur. Ne dicerent, hæc in psalmo de gentibus dicta, ostendit quæ in lege dicta sunt: his qui in lege sunt, loqui. Queritur sanè, quomodo Iudæi dixerunt Deum non esse. Non utique verbo dixerunt, sed opere. Nam contentur quidem se nosse, factis autem negant. Ergo gentes hic non appellat: qui jam de illis talia dixerat in propria causa.

Ut omne os obstruatur. Non solum gentium, sed etiam Iudeorum: dum non habent unde gloriari possint.

Et subditus fiat omnis mundus Deo. In confessione peccati.

Quia ex operibus legis non justificabitur omnis caro co-

ram illo. Modo non justificatur. Sive opera legis, circumcisionem dicit, sabbatum, & cæteras ceremonias: quæ non tam ad iustitiam, quam ad carnis lætitiæ pertinebant. Item non contraria sibi dicit Apostolus, superius dicens: Qui ostendunt opus legis in cordibus suis: Et nunc dicit: Ex operibus legis non justificari omnem carnem. Carnem accusat, cuius providentia legi Dei subijcere non potest. Lex enim ostendere novit peccatum: non tamen ostendit qualiter debeat observari: & iterum punire noxia, non dans veniam penitenti: Christus autem remissionem peccatorum donat credentibus, & docet quomodo debeant carnis vitia vitari, atque prudentia resecari.

Per legem enim cognitio peccati. Non remissio est peccati, sed cognitio. Ideo enim per legem quid sit peccatum, agnoscitur: quia aut in oblivione erat lex nature: aut ante legem literæ, leviora quæque non cognoscebantur esse peccata: id est, quæ aliis non nocebant: ut concupiscentia, ebrietas, & cætera huiusmodi.

Nunc autem sine lege iustitia Dei manifestata est. Hoc est quod dicit: quia iustitia quæ in Christo manifestanda erat, in lege naturali non erat cognita. Testimonia autem legis Moyli & Prophetarum, annunciatione prædicantur. Item sine lege literæ iustitia manifestata: quæ nobis gratis à Deo donata est: non nostro labore quaesita: & apertius per exempla Christi, evidentiora patefacta, quæ latebant in lege.

Testificata à lege & Prophetis. Sive iustitia hæc prædicata est à lege & Prophetis: in novissimis temporibus esse ventura: sive cognitio peccati, à lege & Prophetis testimonium accepit.

Iustitia autem Dei per fidem Jesu Christi, in omnes & super omnes qui credunt in eum. Iustitia, qua creditur Christo.

Non enim est distinctio. Inter Iudeum & Græcum.

Omnes enim peccaverunt, & egent gloria Dei. Quia non habent suam.

Iustificati gratis per gratiam ipsius. Sine ulla operum actione per baptismum, quod omnibus non merentibus gratis peccata donavit.

Per redemptionem quæ est in Christo Jesu. Qua nos redemit sanguine suo de morte: cui per peccatum venditi fueramus: secundum Isaiam dicentem: Peccatis vestris vendidisti. Quam mortem Christus vicit: quia non peccavit. Omnes autem rei eramus morti: cui se ille indebitè tradidit, ut nos suo sanguine redimeret. Unde Propheta prædixerat: Gratis vendidisti estis: & sine pecunia redimemini. Hoc est, quia nihil pro vobis accepistis & Christi estis sanguine redimendi. Simul illud notandum: quia redemit nos, non emit: quia antè per naturam ipsius fueramus, licet simus nostris ab eo alienati delictis. Tunc sanè fructuosa erit redemptio nostra, si peccare cessemus.

Quem proposuit Deus. In promptu ante oculos omnium posuit: ut qui redimi vult, accedat.

Propiciatorem per fidem in sanguine ipsius, ad ostensionem iustitiæ suæ. Ut propicietur eis qui credunt se ejus sanguine liberandos.

Propter remissionem præcedentium delictorum. Propterea passus est Christus, ut propositum Dei sedaret: quo tandem punire decreverat peccatores.

In sustentatione Dei, ad ostensionem iustitiæ ejus in hoc tempore. Vult ostendere Deum quidem ad hoc expectasse, ut tandem se corrigere delinquentes. Illos verò male usos patientia Dei, in majora prolapsos esse peccata. Unde Job ille iustissimus suo tempore ait de peccatore: Dedit ei Deus locum penitentia: & ille abutitur eo in superbia.

Ut sit ipse iustus, & justificans eum qui ex fide est Jesu Christi. Qui solus inventus est, & quem ipse justificaverit: non ex operibus, sed ex fide.

Ubi est ergo gloriatio tua? Exclusa est. Ad Iudeum loquitur: ne gloriaris te operibus meruisse iustitiam. Item interrogatio Iudæi est. Et responderetur ab Apostolo: Exclusa est. Item Iudæus interrogat.

Per quam legem? Factorum? Id est, per naturalem. Opera legis refelluntur ab Apostolo.

Non. Sed per legem fidei. Per quam legem? Factorum? Non Subauditur, est, sed per legem fidei. Legem, dicit statum fidei terminum, hoc est, novum Testamentum.

Arbitramur enim justificari hominem per fidem sine operi-

bus legis. Certi sumus, vel iudicamus. Abutuntur quidam hoc loco ad destructionem operum iustitiæ, solum fidem posse sufficere affirmantes: cum tamen alibi dicat Apostolus: Si habuero omnem fidem, ita ut montes transferam: charitatem autem non habeam, nihil mihi prodest. In qua charitate, alio loco legis asserit plenitudinem contineri, dicens: Plenitudo legis est charitas. Quod si hæc eorum sentit videntur esse contraria: sine quibus operibus legis Apostolus justificari hominem per fidem dixisse credendus est, scilicet circumcisionis vel sabbati, & cæterorum huiusmodi: non absque iustitiæ operibus: de quibus beatus Iacobus dicit: Fides sine operibus mortua est: hic autem de illo dicit: qui ad Christum veniens sola cum primam credit fide salvatur. Addendo autem, operibus legis: ostendit esse etiam gratiæ opera.

An Iudeorum Deus tantum? Nonne & gentium? Nunquid Iudeos solos Deus creavit: aut de illis solis curam gerit? Nam & gentes peccaverunt, & vos: & si vos convertimini, & illi. Si vobis venit Christus ex lege promissus, & illis. Nam & frequenter Propheta etiam de Iudeorum vocatione dixerunt.

Imo & gentium. Pulchrè modum servavit in verbis. Imo dixit: ut ostenderet magis gentes, quamvis non erant circumcisi. Et Abraham ante circumcisionem iustus. Et reddidit rationem ne Iudeos excludere videretur.

Quoniam quidem unus est Deus qui justificat. Utrique uni Deo, & uni Christo credidistis.

Circumcisionem ex fide, & præputium per fidem. Ipsum est ex fide & per fidem: sed usus scripturarum hic est, ut in iisdem causis mallet mutare quam repetere sermonem: sicut in Daniele scriptum est: Propter Abraham servum tuum, & Isaac dilectum tuum, & Israel sanctum tuum.

Legem ergo destruimus per fidem? Absit. Sed legem statimus. Non contraria sibi Apostolus dicit, superius asserens exclusam esse umbram, & typum legis præsentis veritate: nunc autem infert approbare se legem in quo ipse testimonium perhibet. Abraham, non ex operibus legis, sed ex fide iustificatus est. Item, legem ergo quæ circumcidi præcipit, superfluum iudicamus. Absit. Imo stare faciamus, dum probamus verum esse quod dixit: legem legi, testamentum testamento, circumcisionem circumcisioni successuram.

Caput IV.

QUID ergo dicemus invenisse Abraham. Revocavit illos ad caput circumcisionis: ut quod initio constituerit, adhibeatur in toto.

Patrem nostrum. Patrem secundum carnis circumcisionem. Nam fides in mente consistit.

Secundum carnem. Dicens secundum carnem, ostendit traducem carnis esse, non animæ.

Si enim Abraham ex operibus legis iustificatus est. Si ex eo quod se circumcidit iustificatus est, nihil illi Deus donavit, sed ex se habuit gloriam. Aliter: Si iusta perfecit, apud semetipsum habet gloriam, non apud Deum.

Habet gloriam, sed non apud Deum. Dicens: habet gloriam: sed non apud Deum: ostendit eum ex operibus suis gloriam habere, & non ex Deo.

Quid enim dicit scriptura? Credidit Abraham Deo. Tam magna fuit fides Abrahæ, ut & pristina ei peccata donarentur, & sola præ omni iustitia doceretur accepta, & tanto deinceps amore flagravat: ut super omnia se opera præpararet.

Et reputatum est illi ad iustitiam. Et ideo habet gloriam apud Deum, secundum quod lex probavit.

Ei autem qui operatur: merces non imputatur secundum gratiam, sed secundum debitum. Debitoris enim est facere quæ iubentur: & nisi paruerit, damnatur: si autem fecerit, non habet gloriam: quia inutilis adhuc servus dicitur, qui nihil amplius quam præceptum est operatur. Aliter: Non illi gratis donatur iustitia, sed merces redditur operum pristinorum.

Ei vero qui non operatur, credenti autem in eum qui iustificat impium, reputatur fides ejus ad iustitiam. Convertentem impium, per solum fidem iustificat Deus non opera bona quæ non habuit. Alioquin per impietatis opera fuerat puniendus. Simul attende, quia non peccatorem di-

cit justificari per fidem, sed impium: hoc est nuper credentem asseruit.

Secundum propositum gratiæ Dei. Qui proposuit gratis per solum fidem peccata dimittere.

Sicut & David dicit beatitudinem hominis. Magna beatitudo est sine labore legis & penitentia, Domini gratiam promereri: sicut si quis aliquam dignitatem gratis accipiat.

Cui Deus accepto fert iustitiam sine operibus. Ad hoc fides prima ad iustitiam reputatur, ut de præterito absolvetur: & de præsentis iustificetur: & ad futura fidei opera præparetur.

Beati quorum remissa sunt iniquitates: & quorum testata sunt peccata. Beatus vir cui non imputavit Dominus peccatum. Quod penitetur, non teneur: & quod tegitur, non apparet: & idcirco minime imputatur. Quidam dicunt remitti, per baptismum: tegi, laboribus penitentia: non imputari, per martyrium. Alii autem dicunt, remissis per baptismum peccatis, augeri charitatem in Deo, quæ operit multitudinem peccatorum: & deinceps non sinit imputari, dum bonis quotidie operibus, mala præterita superantur.

Beatitudo ergo hæc in circumcissione tantum manet: an etiam in præputio? Vult istam beatitudinem tribus temporibus assignare: naturæ, & circumcisionis, & Christianitatis.

Dicimus enim: quia reputata est Abrahæ fides ad iustitiam. Omnes enim confitemur, & consentimus: ut quod ratio de Abraham invenere, hoc de cæteris observemus.

Quomodo ergo reputata est ei: in circumcissione, an in præputio? Videamus utrum circumcisio ex iustitia, an iustitia ex circumcissione sit nata.

Non in circumcissione, sed in præputio. Quia antè iustus, quam circumcisus.

Et signum accepit circumcissionis. Ne dicerent: ergo superflue circumcisus est: signum aut esse iustitiæ, non augmentum.

Signaculum iustitiæ fidei, quæ est in præputio. Signaculum accepit illius iustitiæ, quam præputiati fides meruit. Perfecta enim fuit, ut signaculum mereretur. Semper enim res plena signatur. Sive ut ostenderet: quam iustus & fidelis esset, qui dolorem sibi ex mandato Dei dubitavit inferre. Non putaret superfluum quod ab essentiarum Domino iubebatur: sicut nec patricium credidit impium, quod fons præceperat pietatis.

Ut sit pater omnium credentium per præputium, ut reputetur & illis ad iustitiam: & sit pater circumcissionis, non his tantum qui sunt ex circumcissione, sed & his qui cætantur vestigia fidei, quæ est in præputio patris nostri Abrahæ. Ut omnes qui ex gentibus credunt, filii sint Abrahæ: dum & illis sola fides ad iustitiam reputatur: Erunt ipsi circumcisi, sed corde. Sive quia in præputio iustus fuit, ut esset incircumcisorum pater: & circumcisus iustus permansit, ut circumcisorum iustorum fieret pater.

Non enim per legem promissio Abrahæ aut semini ejus. Hic enim legem ipsam circumcisionem appellat: eo quod possit omnè præceptum, lex intelligi.

Ut heres esset mundi: sed per iustitiam fidei. Sive in semine ejus, quod est Christus, benedicerentur omnes gentes: quæ illi in hereditatem à parte sunt datæ. Sive, ut cum eo recumbant gentes in regno cælorum.

Si enim qui ex lege heredes sunt: exinanita est fides, abolita est promissio. Si illi soli, ut vos vultis, circumcisi heredes sunt: non implevit Deus promissum Abrahæ, ut pater esset multarum gentium: & si ita est, jam videbitur Deo sine causa credidisse.

Lex enim iram operatur. Quia iniustus est posita: & magis gravavit peccare volentes, quam absolvit, per scientiam cumulando delicta. Si enim cæci essetis, peccatum non haberetis.

Ubi enim non est lex, neque prævaricatio. Ideo ex fide, ut secundum gratiam firma sit promissio omni semini. Non ei qui ex lege est solum, sed & ei qui ex fide est Abrahæ, qui est pater omnium nostrum: sicut scriptum est. Cum ergo fides exinaniri non potest, nec promissio aboleri: non est ex lege hereditas, sed ex fide. Lex enim non donat peccata, sed damnat: & ideo non potest omnes gentes filios facere Abrahæ: quia

secundum quod omnes sub peccato inventi sunt, omnes erant utique puniendi. Fides autem dimissis per gratiam peccatis, omnes credentes filios efficit Abraham: sive quia non est quod prævaricaretur, ubi lex non est: sive non est quod vindicaretur, ubi lex necessaria non est.

Quia patrem multarum gentium posui te, ante Deum cui credidisti. Ante Deum qui Pater est omnium credentium.

Qui vivificat mortuos. Hic mortuos ad generandum dicit, ut presenti conveniat causa.

Et vocat ea que non sunt, tanquam ea que sunt. Quamvis & in principio vocaverit que non erant, & statim esse ceperunt: tamen hic de filii desperata conceptione significat: quia jam non erant eis tempora generandi.

Qui contra spem in spe credidit. Contra spem natura est: ut centum annorum homo ex muliere æque jam fessa, que etiam in juventute sterilis fuisset: semen suum sicut stellas cæli crederet esse futurum.

Ut fieret pater multarum gentium: secundum quod dictum est ei: Sic erit semen tuum sicut stella cæli, & tanquam arena maris. Qui nec unius filii jam per se esse poterat pater.

Et non infirmatus est in fide. Quaritur quomodo Abraham jam emortuo corpore, filios de Catura generaverat, qui de Sara ante non potuit? Idcirco de Sara non genuit, quia & senex erat & sterilis: in illa vero quasi in juvene, cursu nature facile potuit generare.

Nec consideravit corpus suum emortuum: cum ferè centum esset annorum, & emortuam vulvam Sara. Nihil nature considerat fides: quia omnipotentem novit esse: qui dixit.

In repromissione etiam Dei non habuit diffidentia, sed confortatus est fide. Nec de se, nec de senectutis impossibilitate, nec de promissionis magnitudine dubitavit.

Dans gloriam Deo: plenissime sciens: quia quæcumque promissit Deus, potens est & facere. Tanquam de recepto gratias agens.

Ideo & reputatum est illi ad justitiam. Quia tam perfectè, & firmiter credidit.

Non est autem scriptum tantum propter ipsum, quia reputatum est illi ad justitiam: sed & propter nos, quibus reputabitur. Non ut ejus solum fidem sciremus, qua Domino placuit: quideo etiam tentatus est: ut & ipse se nosset, & nos sequeremur.

Credentibus in eum qui suscitavit Jesum Christum Dominum nostrum à mortuis. Si tam perfectè crediderimus Christum à mortuis resurrexisse: quomodo ille credidit corpus suum posse ad generandum vivificari jam mortuum.

Qui traditus est propter delicta nostra, & resurrexit propter justificationem nostram. Qui morte sua, nostra peccata abolevit: & in ea qualitate qua mortuus est, necessario resurgens apparuit, ut justitiam credentium confirmaret.

Caput V.

JUSTIFICATI igitur ex fide. Pertractata causa quare nemo eorum ex operibus justificatus sit, sed omnes ex fide, quod exemplo Abraham probat: cujus se filios esse soli Judæi putabant: ostendit ratione, quod non genus, nec circumcisio, sed fides faciat filios Abraham: qui ex sola prima fide justificatus est. Qua ratione conclusa, pacem eos habere hortatur: quia nemo suo merito, sed omnes æqualiter Dei gratia sunt salvati.

Pacem habeamus ad Deum per Dominum nostrum Jesum Christum. Vel subjecti sumus utrique Deo: sive pacem Dei, non tantum sæculi, habeamus.

Per quem & accessum habemus per fidem in gratiam istam. Per quem accessimus propè qui eramus longè.

In qua stamus. Qui antè jacebamus.

Et gloriamur in spe glorie filiorum Dei. Gloriamur nos sperare filiorum Dei gloriam possessuros. Tantumque est quod speramus, quantum ex se nullus auderet: ne non spes, sed blasphemiam putaretur: eo quod multis pro sua magnitudine incredibile videatur.

Non solum autem, & sed gloriamur in tribulationibus: scientes quod tribulatio patientiam operatur: patientia autem probationem. Non solum in glorie spe, sed etiam in saluber-

rimis tribulationibus gloriamur, magnitudinem præmii cognoscentes: sicut Jacobus ait: Omne gaudium existimate fratres, & reliqua. Unde & gaudere debemus aliquid pati pro nomine Dei, ut acquiramus de tribulatione finienda præmii infinitum. Consideratione enim præmii, nullum possumus condignum æstimare laborem. Nam & scimus homines propter aurum ultrò se ad bestias deputare: quod tamen in æternum non poterunt possidere: quanto magis nos exemplo Apostolorum in tribulationibus gaudere debemus: Quæ quidem cum sint temporales, æternam salutem acquirunt: & à doloribus liberant sempiternis. Cum multi propter spem parvæ salutis, & curam corporis, maximos sustinerint cruciatu: nec tamen perfectam possunt consequi sanitatem: quæ etiam si proveniret, paulo post morte intercedente solvetur. Habemus ergo unde honestè, & sine periculo gloriamur. Magna enim gloria est de imis ad summa crescere: de nihilo ad maxima pervenire: de limo ad cælum: & de servitute vocamur ad regnum: si tamen omni sæculi gloria, & jucunditate contempta: in illo solo quod nobis promittitur, gloriemur. Quod & si feceritis, tale est, quale si quis nummo plumbeo contempto, gemmam regiam consequatur: quamquam nec sit digna comparatio, quia quamvis hic pretium distet: tamen manet utriusque corruptio: ibi verò incorruptibilibus corrupta, & æternis caduca mutantur.

Probatio verò spem: spes autem non confundit. Spes futurorum omnem confusionem expellit. Unde probatur non habere spem, qui præceptis confunditur Christi.

Quia charitas Dei diffusa est in cordibus nostris. Magnitudo beneficiorum excitat in se magnitudinem charitatis: quæ perfecta confidit, & timere non novit. Item manifestè hoc ostendit: quia quæcumque hominibus à Deo Patre donantur, per Spiritum sanctum tribuuntur.

Per Spiritum sanctum, qui datus est nobis. Quomodo nos Deus diligit, ex hoc cognoscimus: quia non solum nobis per filii sui mortem peccata dimisit, sed & Spiritum sanctum nobis dedit: qui jam ostendat gloriam futurorum.

Ut quid enim Christus cum adhuc infirmi essemus. Ut quid indebitè pro nobis mortuus est, nisi ut manifestaret suam charitatem: cum adhuc peccatorum, & scelerum languoribus premeremur?

Secundum tempus. Secundum tempus infirmi, quo jam defecerat penè justitia. Sive quia ultimo tempore passus est Christus, sive ad tridui tempus, ut prædicabatur, est mortuus.

Pro impiis mortuus est. Vult ostendere, quia pro impiis mortuus est: ut ex beneficiorum contemplatione, ejus gratiam commendaret: & in mercato delicti, quantum eum debeamus diligere, demonstraret: & tanto beneficio & sancto, an aliquid præponendum sit, videremus: cum ille nobis impiis nec vitam suam præposuerit: ne necessitiam nobis denegaret mortem.

Vix enim pro justo quis moritur. Ideo pro justo difficile moritur, quia justus non habet mori. Pro morituro enim fortè moritur alter.

Nam pro bono forsitan quis audeat mori. Bonus ipse est, qui & justus. Dicit enim alibi: Mandatum sanctum, & justum, & bonum. Forsitan autem, hoc est, tam facile audeat, ne illi injuria fiat.

Commendat autem charitatem suam Deus in nobis. Amabilem facit, cum insinuat quantum nos diligit: quando enim indebitè aliquid præstatur, tunc maxime charitas commendatur. Quid enim tam indebitè, quam ut sine peccato Dominus pro servis impiis moreretur: & universitatis conditor dignaretur apparere in homine, & contemni pro reparatione propriæ creaturæ?

Quoniam si cum adhuc peccatores essemus, secundum tempus. Notandum quòd plerumque Apostolus credentes jam in Christo fuisse peccatores, dicens: jam non esse significat: ut qualiter se exhibere debeant, recognoscant.

Christus pro nobis mortuus est: multo igitur magis justificati nunc. Si peccatores tantum dilexit: quanto magis custodiet justos?

In sanguine ipsius salvi erimus ab ira per ipsum. Non animalium sicut in lege. Caveamus ergo, ne peccando eum pollutum dicamus: sicut dicit ipse Apostolus ad Hebræos.

Si enim cum inimici essemus, reconciliati sumus Deo

per mortem filii ejus. Peccatores inimici sunt contemnendo: sicut dicit Apostolus: Scitis quia amicitia hujus mundi inimica est Deo: Quicumque enim voluerit amicus esse sæculi hujus, inimicus Dei cognoscitur. Inimici ergo actibus, non natura. Reconciliati autem, quia conciliati naturaliter fueramus.

Multo magis reconciliati, salvi erimus in vita ipsius. Si per mortem Christi salvati sumus: quanto magis in ejus glorificabimur vita, si eam fuerimus imitati?

Non solum autem, sed & gloriamur in Deo per Dominum nostrum Jesum Christum, per quem nunc reconciliationem accepimus. Non solum nobis vita dabitur sempiterna, sed etiam quedam similitudo per Christum promittitur divinæ gloriæ: sicut dicit Apostolus Joannes: Nondum apparuit quid erimus, quoniam cum apparuerit similes ei erimus.

Propterea sicut per unum hominem. Si per unum hominem Evam, peccatum intravit in mundum: infantiunt qui dicunt: antequam deceperit diabolus Evam, peccatum fuisse in mundo. Item hic ostendere vult propterea Christum passum: ut qui sequentes Adam discesseramus à Deo, per Christum reconciliaremur Deo.

In hunc mundum peccatum intravit: & per peccatum, mors: Exemplo vel forma. Quomodo cum non esset peccatum, per Adam advenit: ita etiam cum penè apud nullam justitiam remansisset, per Christum est revocata. Et quomodo per illius peccatum, mors intravit: ita & per hujus justitiam, vita est reparata: futura, non præsens.

Et ita in omnes homines mors pertransiit. Dum ita peccant, & similiter moriuntur. Non enim in Abraham, & Isaac, & Jacob pertransiit: de quibus dicit Dominus: Omnes enim illi vivunt. Hic autem ideo dicit omnes mortuos: quia in multitudine peccatorum non excipientur pauci justi, sicut ibi: Non est qui faciat bonum: non est usque ad unum. Et omnis homo mendax. Sive in eos omnes pertransiit: qui humano, non cælesti ritu vivebant. Item nunc Apostolus mortem animæ significat: quia Adam prævaricans mortuus est, sicut & Propheta dicit: Anima quæ peccat, ipsa morietur. Transiit enim & in omnes homines, qui naturalem legem prævaricati sunt.

In quo omnes peccaverunt. Hoc est in eo quod omnes peccaverunt, exemplo Adæ peccant.

Usque ad legem enim peccatum erat in mundo. Lex peccati vindex advenit: ante ejus adventum liberius vel præsentis vitæ longitudine fruebantur. Erat quidem ante legem peccatum, sed non ita putabatur esse peccatum: quia jam penè oblitteratum fuerat in natura. Item dicens: Usque ad legem, Moysi significat. Inferens autem, peccatum non imputatur cum lex non est: naturalem iterum ostendit legem, per quam prævaricatus est Cain: & post ipsum qui naturalem legem, prævaricati sunt.

Peccatum autem non imputabatur, cum lex non esset. Quomodo mors regnabat, si non imputabatur peccatum: nisi subaudiatur, in præsentem non imputabatur.

Sed regnavit mors ab Adam, usque ad Moysen. Sive dum non esset qui inter justum, & injustum antè distingueret, putabat se omnibus dominari. Sive non solum in eos qui præceptum sicut Adam transgressi sunt: Hoc est de filiis Noe, quibus justum est, ne animam in sanguine manducarent: Et de filiis Abraham, quibus circumcisio mandata est: sed etiam in eos qui sine præcepto legem contempserunt nature.

Etiam in eos qui non peccaverunt in similitudinem prævaricationis Adæ. Hi sunt qui non in similitudinem prævaricationis Adæ peccaverunt: qui per naturalem legem transgressi sunt: & non sicut Adam per mandatum.

Qui est forma futuri. Sive ideo forma fuit Christi: quia sicut Adam sine coitu à Deo factus est: ita ille ex virgine Spiritu sancto operante processit. Quidam dicunt forma è contrario, hoc est: sicut ille peccati caput, ita & iste justitiae. Item forma Christi Adæ factus est. Sicut enim Adam primus mandatum Dei prævaricans, exemplum est legem Dei prævaricare volentibus: sic & Christus voluntatem patris complens, exemplum est imitari eum cupientibus.

Nam non sicut delictum, ita & donum. Ne in forma æqualitaspotaretur.

Si enim unius delicto multi mortui sunt: multo magis gra-

tia Dei, & donum in gratia unius hominis Jesu Christi in plures abundavit. Hic manifestè docet: quia non generaliter de omni homine dicit, dicens: unius delicto, multi mortui sunt: quia communi & naturali morte: non solum peccantes, sed & justi moriuntur.

Et non sicut per unum peccatum, ita & donum. Sed amplius.

Nam judicium qui sem ex uno in condemnationem. Ex uno julto peccante, processit judicium mortis.

Gratia autem ex multis delictis in justificationem. Quia non invenit Adam multam justitiam, quam suo exemplo destrueret: Christus autem gratia sua, multorum peccata dissolvit. Et Adam solam formam fecit delicti: Christus verò & gratis peccata remisit, & justitiae dedit exemplum.

Si enim unius delicto mors regnavit per unum: multo magis abundantiam gratia, & donationis: & justitia accipientes in vita, regnabunt per unum Jesum Christum. Quare multa peccata dimisit, abundantia donationis Spiritus sancti: quia multa sunt dona. Ipsa enim justitia donatur per baptismum, non ex merito possidetur.

Igitur sicut per unius delictum in omnes homines in condemnationem: sic & per unius justitiam in omnes homines in justificationem vita. Mors regnavit: subauditur, ita & per justificationem gratia regnavit. Itemque superius dicit: Numquid iniquus Deus qui infert iram? Et adjecit: Absit: quomodo potest unius delicto Adæ, omnes homines condemnare? cum nec unius Christi justitia, omnes homines justificati sunt? Omnes autem dicens, non generaliter dicit, sed uniuscujusque partis significat multitudinem. Alioquin inveniantur omnes homines justificati in Christo, sicut & in Adam condemnati: & non erit ultra qui puniatur.

Sicut enim per inobedientiam unius hominis peccatores constituti sunt multi, ita & per unius obedientiam justissimi constituentur multi. Sicut exemplo inobedientiae Adæ, peccaverunt multi: ita & Christi obedientia justificantur multi. Grande enim crimen inobedientiae est, quod tantos occidit.

Lex autem subintravit: ut abundaret delictum. Quia naturalem legem habentes Hebræi & scribæ acceperunt propterea dicit, subintravit. Ipsi enim ad majorem mercedem accipientes legem, per suam negligentiam non custodientes, in majus ceciderunt delictum: ne dicerent, sed nobis lex peccatum dimisit: non, inquit, venit dimittere, sed demonstrare delicta. Et dum scienter peccaverunt, cæpit abundare delictum: quasi si diceret: ut video, lex peccatum non abstulit, sed adjecit: non tamen suo vitio: sed illorum: subintravit: hoc est, subito intravit: & ita contigit ut abundaret delictum.

Ubi autem abundavit delictum, superabundavit & gratia. Sicut ait Salvator: Cui plus dimittitur, amplius diligit: Manifestata est enim quantitas peccati, ut sciretur gratiæ magnitudo: & redderemus competens debitum charitatis.

Ut sicut regnavit peccatum in mortem, ita & gratia regnet per justitiam in vitam æternam: per Jesum Christum Dominum nostrum. Sicut abundanter confirmatum est regnum peccati, per contemptum legis: ita & regnum gratiæ confirmetur, per multorum remissionem peccatorum, & indefinitentem deinceps justitiæ actionem.

Caput VI.

QUID ergo dicemus? Manebimus in peccato: ut gratia abundet? Absit. Qui enim mortui sumus peccato. Ne non intelligentes dicerent: Si gratia crescit in magnitudine delictorum: peccare debemus, ut possit magis ac magis gratia abundare. Absit. Ego de illis dico, quos ita fides invenit, non de nobis, qui jam mortui sumus peccato, ut gratia viveremus.

Quomodo adhuc vivemus in illo? Vult tam firmum esse baptizatum, tamque perfectum.

An ignoratis fratres. Aut nunquid nescitis ipsam sacramentum baptismatis?

Quia quicumque baptizati sumus in Christo Jesu. Tribus modis baptismum accipitur in scripturis: Aquæ & Spiritus sancti, qui & ignis appellatur est, & sangui-